

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0324

0322

0328

0318

0333

0313

0373

0273

0423

0223

0823

311

impiorum vinculis alligarentur. Sed et pius ille et illustrissimus rex Ludovicus Francorum cum duobus fratribus suis, Carolo et Alphonso, captus in manus hostium devenit. Captis ergo Christianis cum rege Soldanus de treugis et pactis regem requiri fecit. Et post plura colloquia conclusum fuit, quod dominus rex Soldano restitueret Damiatam cum rebus ibi inventis et octo millia sarracenos aureos et omnes captivos. Soldanus vero debebat regem et omnes captivos Christianos nunc et ante captos in Aegypto et in Syria dimittere cum omnibus attinentiis eorum. Treugis ergo compositis rediit rex in Syriam et adhuc quinquennio ibi mansit pro tuitione fidelium. Audita autem morte dominae Blanchae, piissimae matris suae, compositis rebus in Syria in suum regnum reversus est.

Post decursum aliquorum annorum dolens rex de oppressione civitatis sanctae Jerusalem et de novo affectus locis sanctis, oblitus omnis calamitatis suae et miseriарum, quas in illis partibus perpessus fuerat, iterato cum duobus filiis suis, adjuncto rege Navarre et legato apostolico et quam pluribus aliis praelatis, sacerdotibus et spiritualibus, pro recuperatione terrae sanctae iter est aggressus. De consilio autem procerum navigaverunt in Africam, ut caperent Tunisium, qua obtenta aptius Aegyptum et terram sanctam capere possent. Sed superveniente peste maxima in exercitu Christianorum mortui ibi sunt filii regis Ludovicus et praefecti exercituum, ciasque peste grassante supervenit frater Ludovici regis, Carolus cum magna classe et Tunisium obsedit. Sed peste afflictus exercitus firmatis treugis cum rege Tunisii remeaverunt ad propria.

Mortuo autem sancto Ludovico omnes fere pecorum pastores scriptis et ludibrio decepti de Francia et Alemannia ad invicem congregantur ac duce quodam, quem magistrum eorum vocabant, regebantur. Dicebant autem, quod per angelum eis esset revelatum, quod promissionis terram et Jerusalem non per reges et principes, non per nobiles et divites, nec per armatos Deus vellet Christianis dare, sed per humiles abjectos pastores, qui baculis suis et terram sanctam

Ende

Anfang

